

DOMINICA I DE ADVENTU

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica de Adventu, quod in quattuor clausulis dividitur: *Erunt signa in sole et luna.*

In primis thema sermonis ad poenitentes vel religiosos, ibi: *In die illa erit germen Domini.*

Item de confessione, ibi: *Gloria Libani*, vel: *In die illa radet Dominus.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item de Annuntiatione vel Nativitate Domini, ibi: *Vidi Dominum*, et ibi: *Figulus sedens.*

Item in Passione Domini de quinque ipsius plagis, ibi: *Erunt quinque civitates.*

DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis ad poenitentes vel religiosos, ibi: *Accipiens Moyses sanguinem.*

Item sermo ad claustrales, ibi: *Gloria Libani ad te veniet*; et de eodem, ibi: *In anno quo mortuus est rex Ozias.*

Item contra eloquentes et sapientes huius saeculi, ibi: *In die illa proiciet homo*; et de talpa et vespertilione.

Item ad poenitentes, ibi: *Consurge, consurge.*

DE TERTIA CLAUSULA. Thema sermonis de articulo mortis vel ad sepulturam defuncti, ibi: *Suspiciens sursum.*

Item contra luxuriosos et gulosos, ibi: *Erubescetis super hortis.*

DE QUARTA CLAUSULA. Thema sermonis de die iudicii et peccatorum damnatione, ibi: *Confractioe confringetur terra*, et ibi: *Ululate, quia prope est*, et ibi: *Dominus sicut fortis*, et ibi: *Gladius Domini repletus est sanguine.*

Exordium. Sermo ad poenitentes vel relligiosos et de confessione

1. --- In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: *Erunt signa in sole et luna et stellis* etc. (Lc 21, 25).

Dicit Isaias: *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis* (Is 4, 2). Haec auctoritas primo allegorice de Verbo Incarnato, secundo moraliter exponatur de peccatore converso.

In die illa, idest tempore gratiae, quo sedentibus in tenebris illuxit *candor lucis aeternae* (Sap 7, 26), erit, inquit Isaias, prophetica certitudine, germen Domini, idest Filius Patris, quem, quasi germen, arbor vitae beata Maria protulit in sui Nativitate. Unde Isaias: *Rorate, caeli, desuper*. Ibi GLOSSA: Veniat Gabriel, mittat nobis rorem, scilicet nuntiando; *et nubes pluant iustum*, idest, prophetae, corda nostra salutari pluvia irrigantes, Christi Nativitatem annuntient; *aperiatur terra*, idest Maria ad credendum, *et sic germinet Salvatorem* (Is 45, 8). Qui fuit *in magnificentia* quoad praedicationem et miraculorum operationem, *et gloria* quoad Resurrectionem, et ipse *fructus terrae*, idest beatae Virginis, fuit *sublimis* quoad Ascensionem.

De magnificentia miraculorum dicit Isaias: *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* (Is 35, 4-5). De gloria Resurrectionis idem dicit, ubi loquitur de apostolis: *Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri* (Is 35, 2). Unde Ioannes: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre* etc. (Io 1,14). De sublimitate Ascensionis dicit Pater in Isaia, ubi loquitur de Filio: *Ecce intelliget servus meus; et exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde* (Is 52, 13). "Filius" dicitur servus Patris, pro eo quod

ei fuit obediens usque ad mortem.

2. --- MORALITER. *In die illa* etc. Dies est sol lucens super terram. Cum sol gratiae illuminat terram, idest peccatoris mentem, tunc producit ex se germen Domini, in quo contritio designatur. Unde Isaias: *Descendit imber et nix de caelo, et inebriat terram et infundit eam, et germinare eam jacet, et dat semen serenti et panem comedenti (Is 55, 10)*. In imbre et nive figuratur Sancti Spiritus gratia. De nive quaere in Evangelio: *Assumpsit Iesus Petrum* etc. (*Dominica II in Quadragesima, secunda clausula*). Gratia quasi imber et nix de caelo, idest divina misericordia, descendit et inebriat terram, idest peccatorem terrena sapientem, ut ad ipsa efficiatur insensibilis, compunctus lacrimis, denudans secretum criminis. Haec enim tria ebrietas facit: insensibilem reddit, lacrimas producit, secretum discooperit. *Et infundit eam* spiritu paupertatis, de qua Isaias: *Effundatur super nos spiritus de excelso (Is 32, 15)*, ne exardescat, ut dicit Iob, contra eam sitis cupiditatis. *Et germinare eam facit* in magnificentia, quod fit, cum universaliter pro omnibus omissis et commissis conteritur, et tunc *dat semen boni operis serenti*, idest poenitenti, qui seminat in lacrimis, *et panem comedenti*, quia in exultatione metet. *In die ergo illa erit germen Domini in magnificentia.*

Sequitur: *Et gloria*. Ex germine contritionis pullulat gloria confessionis, de qua animae poenitenti dicit Isaias: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron (Is 35, 2)*. Libanus candidatio, Carmelus circumcisio, Saron cantilena tristitiae interpretatur. Haec tria facit confessio: candidat animam, circumcidit superflua, plorans plorat et concinit melodiam: *Tristis est anima mea usque ad mortem (Mt 26, 38)*. *Mulier enim cum parit tristitiam habet (Io 16, 21)*.

De candidature animae a peccatis dicit Isaias: *Si*

abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius, in spiritu iudicii et spiritu ardoris (Is 4, 4). In sordibus, cogitationum immunditia; unde Ieremias: *Sordes eius in pedibus eius (Lam 1,9)* idest affectibus; in sanguine carnis luxuria designatur. Quae Dominus abluit a filiabus, idest animabus Sion, idest Ecclesiae, *in spiritu iudicii*, idest confessionis, qua se iudicat et condemnat poenitens; *et spiritu ardoris*, idest contritionis, qua anima succensa effluit in lacrimas compunctionis.

De superfluis in confessione circumcidendis dicit Isaias: *In die illa radet Dominus in novacula acuta, vel conducta, in his qui trans flumen sunt, caput et pilos pedum, et barbam universam (Is I.c.).* Novacula dicta, quod quasi novum faciat hominem, est confessio, quae novat hominis spiritum. Unde Ieremias: *Novate novale, et nolite serere super spinas (Ier 4, 3)*, ne exortae suffocent confessionis verbum. Haec novacula dicitur acuta vel conducta: acuta, quia peccatum et circumstantias peccati rescindit; conducta, quia ipsam peccator, in suae salutis opus, devotione et humilitate, quasi quadam mercede, debet conducere. Ista novacula *in his qui trans flumen sunt*, idest transgressi sunt flumen, idest Baptismum *Dominus radit caput* etc. In capite et pedibus vitae principium et finis, in barba boni operis "fortitudo" designatur. Verae confessionis acumine Dominus radit in poenitente vitia, quae in pilis significantur, a principio sui ingressus usque ad finem sui exitus. Radit etiam barbam universam, ut de nullo bono opere quod fecit, quasi ipse fecerit, confidat. In eo enim solo qui fecit, et non in eo quod fecimus nos, debemus confidere. Qui fecit nos est totum bonum, summum bonum; bonum vero quod fecimus nos est quasi pannus mulieris menstruatae. Discerne ergo tu ipse, in quo bono est confidendum. Vere, in bono Domino Iesu, cui dicit Propheta: *Bonus es tu (Ps 118, 68).*

Item, de cantilena tristitiae, Isaias: *Per ascensum Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt (Is 15,5)*. Quaere superius (*Dominica X post Pentecosten, tertia clausula*).

Sequitur in praemissa auctoritate: *Et fructus terrae sublimis*. Fructus terrae est satisfactio poenitentiae. Unde Isaias: *Iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius (Is l.c.)*. Fructus poenitentiae tunc est sublimis, cum poenitens est humilis, se humilians sublimi et humili vero soli, idest Christo, qui splendorem suae lucis offuscavit cilicio nostrae mortalitatis. Unde dicitur in hodierno Evangelio: *Erunt signa in sole etc.*

3. --- Nota quod, quattuor Iesu Christi sunt adventus. Primus fuit in carne, de quo: *Ecce veniet Propheta magnus, et ipse renovabit Ierusalem*. Secundus est in mente, unde: *Ad eum veniemus, et mansionem etc. (Io 14, 23)*. Tertius in morte, unde: *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus etc. (Lc 12,43)*. Quartus erit in maiestate, unde in Apocalypsi: *Ecce venit in nubibus, et videbit eum omnis oculus etc. (Apoc 1, 7)*. Isti quattuor adventus notantur in primis quattuor huius sancti Evangelii verbis, de quorum quolibet per se disseremus.

In introitu hodiernae missae cantatur: *Ad te levavi animam meam*, et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: *Scientes quia hora est*, quam cum primo et secundo adventu, qui fit in mente, volumus concordare, introitum vero missae cum tertio et quarto adventu. In primis ergo de primo adventu disseramus.

I - De primo Christi adventu in carne

4. --- *Erunt signa in sole et luna*. Sol dictus, quod solus luceat, est Iesus Christus, qui solus lucem habitat inaccessibilem (Cf. 1 Tim 6, 16), in cuius claritatis, idest

sanctitatis, comparatione omnis sanctorum claritas patitur detrimentum. Unde Isaias: *Facti sumus vir immundus*, idest leprosus, *omnes nos, quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae (Is l.c.)*. Iste sol, ut dicitur in Apocalypsi, *factus est niger quasi saccus cilicinus (Apoc 6, 12)*. Sacco enim nostrae humanitatis cooperuit lucem suae divinitatis: *Posui, inquit, vestimentum meum cilicium (Ps 68,12)*. Et quid tibi, Dei Fili, et cilicio? Hac veste non Deus sed reus, non Creator sed peccator merito debet indui. Poenitentis, non peccata dimittentis, est vestimentum. Quid ergo tibi et cilicio? Multum quidem et per omnem modum peccatori homini necessarium, quia: Poenitet me fecisse hominem (Cf. Gen 6, 7), idest poena tenet me pro homine. Unde in Isaia: *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis (Is 43, 24)*; et iterum: *Laboravi sustinens (Is 1, 14)*.

Factus est ergo sol niger quasi saccus cilicinus. Sub cilicio enim carnis abscondit se candor aeternae lucis. De quo Isaias: *Germen vitae est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, salvator (Is 45, 14-15)*; et iterum: *Quasi absconditus vultus eius (Is 53, 3)*. Et bene dicit: *absconditus*; hamus enim divinitatis absconditus fuit sub esca humanitatis, ut, sicut dicit Isaias, occideret cetum, idest diabolum, qui est in mari, idest in mundo salso et amaro. Unde Iob: *In oculis eius quasi hamo capiet (Iob 40, 19) Behemoth*. Humilis capit superbum; noster Infantulus, serpentem antiquum. Unde Isaias: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet (Is 11, 8)*. Noster Infans, pannis involutus, praesepio reclinatus, manu suae potentiae contraxit aspidem et regulum, idest diabolum, de foramine vel caverna, idest peccatorum conscientia.

Factus est ergo sol niger, quasi saccus cilicinus. O

primus! O novissimus! O sublimis! O humilis et vilis! *Et nos, inquit Isaias, putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum (Is 53, 1).*

5. --- De cuius humilitate habes concordantiam in eodem: *Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (Is 6, 1).* Nota. Quid Domini sessio, quid solium, quid excelsum et elevatum significant, videamus.

Domini sessio est divinitatis in humanitate humilis inclinatio. Unde Ecclesiasticus: *Figulus sedens ad opus suum convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum (Eccli 38, 32).* Figulus est Dei Filius, de quo in Psalmo: *Qui finxit singillatim corda eorum (Ps 32,15).* Hic *sedit*, idest in carne se humiliavit, *ad*, idest propter, *opus suum*, idest salutem nostram. Unde Isaias: *Ut faciat opus suum, alienum est opus eius, ut operetur opus suum: peregrinum est opus eius ab eo (Is 28, 21).* Ibi GREGORIUS: In mundum veniet, ut faciat opus suum: redimat genus humanum; sed ab ipso est opus alienum, non convenit eius deitati conspui, flagellari, crucifigi. Iste pedibus suae humanitatis convertit ad vitam rotam nostrae naturae, quae prius currebat ad mortem, ut cui prius dictum erat: Terra es et in terram ibis (Cf. Gen 3, 19) eidem modo dicatur: *Beatus es, et bene tibi erit (Ps 127, 2).* In quanta sollicitudine triginta tribus annis, propter opus suum perficiendum, semper fuerit, satis aperte Evangelia protestantur. Unde dicit in Psalmo: *Cucurri.* Tanto enim desiderio currebat ad crucem, quasi ad fornacem, ut ibi consolidaret et consummaret opus suum, quod Pilato non respondebat, ne forte nostrae salutis negotium differeretur.

6. --- *Solium* etc. Solium dictum, quasi solidum, ipsius Christi est humanitas, quae, septem columnis innixa,

undique constans et solida extitit. Unde Isaias: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum (Is 4, 1)*. Septem mulieres sunt septem dona Spiritus Sancti, quae mulieres dicuntur, quia nemo Deo generatur nisi per Spiritum. Vir est Christus - "unus, idest sine peccato solus" -, quem apprehendent septem dona, ut firmiter teneant et non dimittant. Omnes [viros] transeunt usque ad Christum, nullum apprehendunt. Non est enim homo qui non peccet. In omnibus aliis hospitium habet spiritus tribulationis, non mansionem quietis. Fuit enim in prophetis et in aliis iustis, sed quia homines et ideo peccatores, in eis fuit, sed non in eis mansit. Unde de solo Christo dicitur in Ioanne: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem et manentem, hic est qui baptizat (Io 1, 33)*..

Apprehendent ergo virum unum dicentes: Panem nostrum etc. Ibi GLOSSA: Qui panem et vestes habet nihilo indiget. *Panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur*, quod est: Spiritum Sanctum aequaliter cum Patre et Filio omnia possidere et nihilo indigere. *Invocetur nomen tuum super nos*. Hoc est: A te dicantur christiani qui nostra habitatione cupiunt perfrui. *Aufer opprobrium nostrum*, ne amplius, foetore vitiorum expulsa a cordibus hominum, saepe mutare cogamur hospitium.

7. --- Humanitas ergo Iesu Christi, in qua tamquam in solio sedit, idest humiliavit se, divinitas, fuit excelsa et elevata. Excelsa incomparabili vitae sanctitate. Unde in Ioanne: *Qui desuper venit super omnes est*, vitae excellentia. Unde de eo Isaias: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (Is 7, 15)*.

Nota quod ex lacte ovis fiunt duo, butyrum scilicet et caseus. Butyrum est dulce et pingue, caseus aridus et

siccus. Ovis fuit Adam, cuius natura ante peccatum fuit quasi butyrum, scilicet innocentia et puritate; post peccatum fuit tamquam caseus aridus et siccus. Unde: *Maledicta terra, idest caro tua, in opere tuo. Spinis et tribulos germinabit tibi (Gen 3, 17-18)*. Cum ergo venit Emmanuel, quem Virgo concepit et peperit, non caseum sed butyrum comedit, quia non corruptam, vel vitio obnoxiam, sed purissimam carnem de purissimae Virginis carne accepit. Comedit etiam mel, quod desuper cadit, in quo ipsius vitae supereminetia designatur.

Item, Christi humanitas fuit elevata, scilicet in crucis patibulo. Unde in Ioanne: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, uncino scilicet crucis, in quo noster sol sacco cilicino coopertus fuit, quinque signis signatus. Unde dicitur: Erunt signa in sole.*

8. --- Signa in sole fuerunt quinque vulnera in Christi corpore. Haec sunt *quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan. Civitas solis vocabitur una (Is 19, 18)*. Aegyptus interpretatur moeror vel tenebrae. Terra Aegypti, Christi caro, quae fuit in moerore, unde ad Hebraeos: *Cum lacrimis et clamore valido offerens (Hebr 5, 7)* et in tenebris, unde in Psalmo: *Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi (Ps 142, 3)*. In hac terra fuerunt quinque civitates, idest quinque vulnera, quae sunt civitates refugii, ad quae quicumque confugerit a morte liberabitur. Fuge ergo, fuge ad civitates munitas, extra quas qui inventus fuerit occidetur. Unde dicitur in Genesi, quod omnis caro reperta extra arcam aquis diluvii est deleta (Cf. Gen 7, 21-23). In arca ergo tantummodo est vita. Ad ipsam ergo fuge, sicut fecit Ruth, cui dixit Booz, in eiusdem libro: *Plenam mercedem recipies a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas (Ruth 2, 12)*. Extensis brachiis, quasi duabus alis, in cruce, Christus suscipit ad se confugientes, et abscondit in abscondito suorum vulnerum a

conturbatione daemonum.

Sequitur: *Loquentes lingua Chanaan*, quae interpretatur commutata. Vulnera enim Iesu Christi, quasi quadam lingua commutata, loquuntur de nobis ad Patrem, non vindictam sed misericordiam. Unde Apostolus ad Hebraeos: *Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis respersionem, melius loquentem quam Abel (Hebr 12, 22-24)*. Sanguis Abel clamat vindictam, sanguis Christi misericordiam. Unde beatus BERNARDUS: *Securum, o homo, habes accessum ad Deum, ubi habes ante Filium Matrem et Filium ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera. Nulla ergo ibi erit repulsa, ubi tot occurrunt caritatis insignia.*

Sequitur: *Civitas solis vocabitur una*. Vulnus lateris est civitas solis. In apertione enim dominici lateris aperta fuit porta paradisi, per quam nobis effulsit splendor aeternae lucis. Dicitur in NATURALIBUS, quod sanguis tractus ex latere columbae tergit maculam ab oculo, sic sanguis lancea militis tractus a latere Christi, illuminavit oculos caeci nati, idest generis humani.

9. --- Huic primo adventui concordat prima particula hodiernae epistolae: *Hora est iam nos de somno surgere (Rom 13, 11)*.

Sicut in ultimo adventu *canet tuba et mortui resurgent (1 Cor 15, 52)*, sic in primo adventu tuba praedicationis canit: *Hora est etc*, Hora ista est annus benignitatis, tempus plenitudinis, in quo misit Deus Filium suum, factum de muliere, factum sub lege (Cf. Gal 4, 4). Surgamus ergo a somno, idest ab amore temporalium, de quibus Isaias: *Videntes vana, dormientes et amantes somnia (Is 56, 10)*, idest temporalia, quae claudunt cordis oculos a contemplatione aeternorum. Phantasiae

temporalium, quae illudunt dormientes, prima hora diei, qua ortus est sol, effugantur. *Saccus cilicinus*, vilis panniculus, quo fuit involutus, contemptibilis praesepii locus, quo reclinatus, invitant nos, ut a somno surgamus et phantasias expellamus. *Hora est ergo iam nos de somno surgere.*

Sed, vae nobis, quia hac una hora non possumus, quia nolumus, vigilare cum Domino. Vigilavit Dominus, unde Ieremias: *Virgam vigilantem ego video (Ier 1, 11)*. Iesus Christus fuit virga flexibilis obedientia et humilitate, subtilis paupertate, in quibus vigilavit, sed in his cum eo nolumus vigilare. Viri divitiarum dormierunt somnum suum, sed divitiae virorum, idest humilitas et paupertas iustorum, vigilant cum Domino, et ideo vere possunt dicere quod sequitur: *Nunc autem propior est nostra salus quam cum credidimus (Rom 13, 11)*. Hoc est quod dicit Salomon in Parabolis: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem (Prov 4, 18)*. *Lux splendens, ecce cum credidimus; usque ad perfectum diem, ecce propior est nostra salus.* Lux splendens fuit in Verbi Incarnatione, ex qua fides; perfecta dies, in ipsius Passione, ex qua propior salus. Quid enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset?

Ipsam ergo, fratres carissimi, suppliciter exoremus, ut, qui in primo adventu pro nobis sacco cilicino se cooperuit, signis Passionis ad interpellandum pro nobis consignavit, a somno faciat nos resurgere, secum vigilare, quatenus salutis aeternae hereditatem in ultimo adventu mereamur possidere. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II - De secundo Christi adventu in mente

10. --- Sequitur de secundo adventu. *Et luna*. Signa in luna sunt illa, de quibus dicit Ioannes in Apocalypsi: *Luna*

tota facta est sicut sanguis (Apoc 6, 12); et loel: Luna convertetur in sanguinem (loel 2, 31). Deus duo fecit luminaria: maius et minus, idest duas rationabiles creaturas. Luminare maius est angelicus spiritus; luminare minus est hominis anima. Unde dicitur luna, quasi luminum una. Ad hoc enim hominis anima est creata, ut, caelestia sapiens, tamquam una ex illis beatis spiritibus, Creatorem laudaret et cum Dei filiis iubilaret; sed ex nimia terrae vicinitate contraxit nigredinem et amisit claritatem, ideo necesse est, ut, si ipsam vult recuperare, prius tota vertatur in sanguinem.

Sanguis contritio cordis est, de quo Apostolus ad Hebraeos: *Accipiens, inquit, Moyses sanguinem cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad nos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii, sanguine similiter aspersit; omnia in sanguine mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio (Hebr 9, 19-22).* Ecce qualiter luna tota facta est sicut sanguis. Quid Moyses, quid sanguis, quid aqua, quid lana coccinea et hyssopus, quid liber et populus, quid tabernaculum et vasa eius moraliter significant, videamus.

Cum misericors et miserator Iesus Christus venit in peccatoris mentem, tunc Moyses accipit sanguinem etc. Moyses est ipse peccator iam conversus, de aquis Aegypti assumptus, qui ista quattuor debet accipere, scilicet sanguinem dolorosae contritionis, aquam lacrimosae confessionis, lanam innocentiae, coccineam caritatis fraternae, et hyssopum humilitatis verae. Cum istis debet aspergere librum, idest sui cordis secretum, et omnem populum suarum cogitationum, et tabernaculum, idest corpus suum, et omnia vasa eius, idest quinque sensus. In sanguine contritionis omnia mundantur, omnia dimittuntur, cum proposito tamen confitendi. Sine

contritionis sanguine vero non fit remissio peccati.

11. --- Dicatur ergo: *Erunt signa in luna*. Per exteriora signa poenitentis cognoscuntur interiora signa contritionis. Cum castitas in corpore, humilitas in opere, abstinentia in cibo, vilitas in habitu resplenduerint, praenuntia sunt internae sanctificationis. Unde de his quattuor promittit Deus animae poenitenti in Isaia: *Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis niae (Is 60, 13)*. Gloria Libani est castitas corporis, de qua gloriatur anima in Ecclesiastico: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano (Eccli 24,17)*, quae interpretatur candidatio. Cedrus suo odore fugat serpentes. In Libano ergo, idest corpore casto, anima exaltatur quasi cedrus, quia odore sanctae conversationis fugat serpentes daemoniacae suggestionis et concupiscentiae carnalis. De hoc iterum Isaia: *Super omnem, inquit, gloriam protectio (Is 4, 5)*.

Ubi gloria castitatis, ibi protectio divinae miserationis, omnia opera conservantis.

Item, abies dicta, quod prae ceteris arboribus eat, humilitatem significat, quae prae ceteris virtutibus altius se extollit. Unde de ea habes concordantiam in Isaia: *In anno, inquit, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et plena erat domus a maiestate eius, et ea quae sub ipso erant replebant templum (Is 6, 1)*. Rex Ozias, superbus et leprosus, vitium superbiae significat; quo, in homine, mortuo, Dominus sedet super solium. Anima iusti sedes est sapientiae. In anima enim, excelsa humilitate, elevata a terrenis aeternorum contemplatione, requiescit Dominus; et tunc domus quinque sensuum est plena a maiestate eius. Omnia enim membra sunt in quiete, cum Dominus quiescit in mente. Unde Dominus in Isaia: *Sedebit populus meus, cum ego sedero in eo, in*

pulchritudine pacis, quoad honestatem vitae, et in tabernaculis fiduciae, quoad constantiam conscientiae, et in requie opulenta (Is l.c.), quoad divitias bonae famaе. Unde subditur: Et ea quae sub ipso erant replebant templum. Cum Dominus quiescit in mente nostra, omnia quae agimus sub ipso sunt, quia in humilitate fiunt, et haec replent templum, idest aedificant proximum.

Item, buxus pallidi est coloris, et ideo significat cibi et potus abstinentiam. De qua Isaias: *Dabit tibi Dominus panem arctum et aquam brevem (Is 30, 20); et iterum: Pulli asinorum, idest poenitentes, qui operantur terram, idest affligunt carnem suam, commixtum migma comedent (Is 30,24).* Migma est hordeum cum palea, in quo cibi asperitas designatur.

Item, pinus, ex qua pix elicitur, vilitatem habitus significat: venter enim inanis et habitus vilis affectuose Deum deprecantur. Praeteritarum deliciarum et vestium affluentiam, cibi asperitate, vestis vilitate debemus recompensare, ut, sicut dicit Isaias, *sit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium (Is 3,24).*

Illa quattuor supradicta ornant locum sanctificationis Domini, idest animam poenitentis, in qua quiescit Dominus. Unde et dicit: *Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Io 14,23).*

12. --- Huic secundo adventui concordat secunda particula epistolae: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit (Rom 13, 12).* Hoc est quod dicit Isaias: *Vetus error abiit: servabis pacem; pacem, quia in te, Domine, speravimus (Is l.c.).* Nox et error peccati significant caecitatem; dies et pax, gratiae illuminationem. Pacis repetitio interiorem et exteriorem significat quietem, quam homo tunc habet, cum Dominus

super solium excelsum et elevatum sedet.

Sequitur: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum (Rom 13, 12). Hoc est quod dicit Isaias: In die illa proiciet homo idola argenti sui et simulacra auri sui, quae fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones (Is 2, 20).* Nota quod in argento eloquentia, in auro sapientia, in talpis avaritia, in vespertilionibus vanagloria designatur. Talpa enim, carens oculis, fodit terram; vespertilio non videt in die, quia caret crystallino humore et habet alas ligatas cum pedibus. Carnalis homo, humum sapiens, ex argento eloquentiae et auro sapientiae facit sibi idola, scilicet talpas avaritiae et vespertiliones vanaegloriae, quae sunt opera tenebrarum. Avaritia enim, sanctae paupertatis carens lumine, terram fodit, terrena diligit. Vanagloria, dum humano diei placet, divinum diem non videt; alas enim, idest opera, quibus poterat volare in caelum, habet ligatas ad pedes, idest carnales affectus; appetit enim videri et laudari ab hominibus. Heu! quanti temporis nostri praedicatores et praelati, ex eloquentia et sapientia a Deo sibi concessa, faciunt sibi idola, ipsa adorantes. Quaerunt enim ditari, honorari, rabbi vocari, in foro salutari.

Sed, in die illa, idest illuminatione gratiae, de qua dictum est: *dies autem appropinquavit*, homo proicit talpas et vespertiliones, quae lumen non vident et ideo significant opera tenebrarum; et tunc adimpletur quod sequitur: *et induamur arma lucis (Rom I.c.)*.

13. --- Hoc est quod dicit Isaias: *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, civitas Sancti (Is 52, 1).* Sion et Ierusalem animam significant, quae, dum peccat, diabolo subditur captiva; dum poenitentiam agit, elevatur et consurgit. **Consurge ergo contritione, consurge confessione, induere fortitudine finalis perseverantiae,**

induere vestimentis gloriae tuae, idest caritatis geminae, et sic eris civitas Sancti Spiritus.

Sequitur: *Sicut in die honeste ambulemus (Rom 13, 13).* De hoc Isaias: *Gloria Domini in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui (Is 60, 1.2-3).* Gentes sunt sensus corporis; reges, affectus mentis. Illi tunc in lumine honestae conversationis et isti in splendore puritatis ambulant, cum hominis anima illuminatur a Domini gloria.

Sequitur: *Non in comessationibus et ebrietatibus (Rom 13, 13).* De quibus Isaias: *Prae ebrietate absorti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, idest Deum, qui omnia videt; ignoraverunt iudicium. Omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus (Is 28, 7-8).* **Non in cubilibus et impudiciis (Rom I.c.).** Unde Isaias: *Erit cubile draconum et pascua struthionum etc.* Quaere in Evangelio: *Ductus est Iesus in desertum (Dominica I in Quadragesima, secunda clausula).* **Non in contentione et aemulatione (Rom I.c.).** Unde Isaias: *Unusquisque carnem brachii sui vorabit, idest in proximos saeviet, contendendo et invidendo: Manasses Ephraim, idest laici clericos, et Ephraim Manassen, idest clerici laicos; ipsi simul contra Iudam (Is I.c.), idest religiosos. Sed induimini Iesum Christum (Rom 13, 14).* Unde Isaias: *Induit me vestimentis salutis, idest virtutibus, et indumento iustitiae, idest Iesu Christo, circumdedit me (Is I.c.). Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal 3, 27).*

Quem, fratres carissimi, devote exoremus, ut lunam, idest animam nostram, totam in sanguinem contritionis convertat, qua, opera tenebrarum abicientes, in die ambulare, ipsum induere mereamur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III - De tertio Christi adventu in morte

14. --- Sequitur de tertio adventu. *Et stellis*. Signa in stellis sunt illa, de quibus dicit Ioannes in Apocalypsi: *Stellae ceciderunt de caelo super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur (Apoc 6, 13)*. Dicit Isaias, de homine in articulo mortis laborante: *Suspiciet sursum, et ad terram intuebitur: et ecce tribulatio et tenebrae et dissolutio et angustia et caligo persequens; et non poterit avolare de angustia sua Is 8, 21-22)*. In mortis articulo est tribulatio infirmitatis, tenebrae in oculis, qui tunc, ut dicitur, privantur lumine, dissolutio membrorum, angustia mortis et caligo persequens, idest timor gehennae, vel praesentia diaboli, animam egressuram rapere machinantis. Heu! Miser homo, sive sursum suspiciat, sive terram intueatur, non poterit avolare de angustia sua, quin cadat super terram et revertatur in terram. Unde Isaias: *Cecidit, cecidit Babylon, idest hominis caro, et omnia sculptilia deorum eius, idest delectationes sensuum eius, contrita sunt in terra (Is 21, 9), quia terra es et in terram reverteris (Cf. Gen 3,19)*. Hoc est ergo quod dicitur: *stellae*, idest homines viventes, *cecidierunt de caelo*, idest firmamento, idest statu suo, quo firmitus stare et diutius vivere credebant super terram, de qua creati sunt.

Sicut ficus etc. Ficus est natura humana, quae, cum a vento mortis magno movetur, tunc emittit grossos suos, idest perdit sensus et membra, et sic inutilis habetur. Haec sunt signa in stellis. Beatus ergo tunc erit ille servus, quem cum venerit Dominus et pulsaverit ianuam invenerit vigilantem (Cf. Lc 12, 36-37).

15. --- Felix ille, qui in hora suae mortis poterit cantare quod cantatur in introitu hodiernae missae: *Ad te levavi animam meam (Ps 24, 1)*. Hoc est quod dicit Isaias: *Elevare, elevare, consurge, Ierusalem (Is 51, 17)*. O

anima, elevare a tuae carnis illecebra, elevare a mundi concupiscentia, consurge ad aeterna gaudia. In mortis articulo securus erit qui ita animam suam ad Deum levaverit.

Deus meus, in te confido (Ps 24, 2). Hoc est quod dicit Isaias: *Et erit in die illa: non adiciet residuum Israel, inniti super eo, idest Assyrio, idest diabolo, qui percutit eos, sed innitetur super Dominum, Sanctum Israel (Is l.c.).* *In te, inquit, confido, non in carne, non in mundo.* De cuius confidentia dicit Isaias: *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius et perforabit eam (Is 36, 6).* Abundantia mundi et sanitas corporis sunt quasi arundo, quae radicem habet in luto, interius vacua et exterius pulchra. Haec arundo, si super illam homo innititur, in morte confringitur, confracta vulnerat animam, quae vulnerata cadit in gehennam.

Sequitur: *Non erubescam (Ps 24, 2).* Vere, vere, qui dum vivit in Domino confidit, in hora mortis non erubescit, sed exultans dicit cum Isaia: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo (Is 61, 10).* E contra, confidentibus in mundo comminatur Isaias: *Erubescetis super hortis quos elegeratis. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua; et erit fortitudo vestra ut favilla stuppae, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat (Is 1, 29-31).* In fine vitae suae erubescunt carnales *super hortis* gulae et luxuriae, quae sibi elegerunt dum viverent. Erunt nudi et aridi *velut quercus defluentibus foliis*, idest divitiis et deliciis; *et velut hortus absque aqua*, quia omnis delectatio cessabit. Amplius enim per canales sensuum non decurret aqua mundanae voluptatis ad inebriandam concupiscentiam carnis. *Et "tunc" erit fortitudo*, idest superbia eorum in qua confidebant, *ut favilla stuppae*, quia citissime

consumetur; et opus eorum quasi scintilla, idest nullius momenti; et succendetur a daemonibus utrumque, idest fortitudo superbiae et opus avaritiae, et non erit qui extinguat. Unde Isaias: Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur (Is 66, 24).

Sequitur: Neque irrideant me inimici mei (Ps 24, 3). De qua irrisione dicit Ieremias in Threnis: Plausuerunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et commoverunt capita sua super filiam Ierusalem: Haecine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilaverunt et fremuerunt dentibus et dixerunt: Devorabimus; en ista est dies quam expectabamus: invenimus et vidimus (Lam 2, 15-16). Ab hac irrisione in fine vitae suae securi erunt illi, qui in Domino sunt confisi, quibus ipse promittit in Isaia: In laetitia egrediemini, scilicet a corpore, et in pace deducemini ad patriam caelestem. Montes, idest angeli, et colles, idest apostoli, cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis, idest animae sanctorum, plaudent manu de vestro consortio, exultantes et Dei Filium collaudantes.

Quem, fratres carissimi, devote postulemus, ut cum extrema dies finisque vitae nostrae advenerit, ab irrisione daemonum nos liberet, et in laetitia egredi et in pace deduci per manus angelorum faciat. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

IV - De quarto Christi adventu in malestate

16. --- Sequitur de quarto adventu. Et in terris pressura gentium (Lc 21, 25). De qua pressura dicit Isaias: Confractioe confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius (Is 24, 19-20). Quomodo

ebrius nescit quid agat, sic omnes qui versantur in terra malorum, magnitudine ebrii erunt et stupebunt ad omnia. Terra hic quater posita quattuor peccatores significat, scilicet superbos, luxuriosos, avaros et iracundos. Superbi confringentur; unde: *Molas leonum confringet Dominus (Ps 57, 7)*. Luxuriosi conterentur; unde Ieremias: *Duplici contritione conteret eos Dominus (Ier 17, 18)*, ut, qui in anima et carne peccaverunt, in utroque puniantur. Avari commovebuntur; unde Iob: *Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit (Iob 21, 18)*. Iracundi agitabuntur; unde iterum Iob: *Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu irae eius esse consumptos (Iob 4, 8-9)*.

Sequitur: *Prae confusione sonitus maris et fluctuum (Lc 21, 25)*. Unde Isaias: *Eritque repente confestim, a Domino Deo exercituum visitabitur in tonitruo et in commotione terrae, et voce magna turbinis et tempestatis et flammae ignis devorantis (Is 29, 6)*. Elementa vindicabunt Auctorem. Calamitas damnandorum erit repente. Unde Apostolus ad Thessalonicenses: *Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet. Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient (1 Thess 5, 2)*. *Confestim*. Unde in Apocalypsi: *Ecce, venio cito. Amen. Veni, Domine Iesu (Apoc 22, 20)*. Et tunc peccator visitabitur in tonitruo de caelo, et in commotione terrae; quae, pondere peccatorum illius aggravata, excutiet ipsum a se; et voce magna turbinis de aere et tempestatis de mari. Quo ergo miser fugiet? Ubi se abscondet? Si in caelum voluerit ascendere, tonitruo pro-pulsabitur; si in aerem, turbine conteretur; si in terra remanere, eius tremorem non poterit sustinere, quia, ut dicit Iob, *terra adversus eum consurget (Iob 20, 27)*; si in mare intrare, fluctibus eius expelletur. Quid ergo restat misero, cuius non est inventus locus in toto mundo, nisi ut cadat in

abyssum flammae ignis devorantis? De quo Iob: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur (Iob 20, 26).*

17. --- Sequitur: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi (Lc 21, 26).* Hoc est quod dicit Isaias: *Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens dolebunt; unusquisque ad proximum suum stupebit; facies combustae vultus eorum. Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignationis plenus et irae furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellae caeli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendet in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum; et requiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo (Is 13, 6-11).*

Sequitur: *Nam virtutes caelorum movebuntur (Lc 21, 26),* prae admiratione scilicet. Unde Isaias: *Tabescet omnis militia caelorum, et complicabuntur sicut liber caeli (Is 34, 4).* Ibi GLOSSA: Aer iste igne involvetur et plicari videbitur sicut liber. Postquam enim omnia peccata aperta fuerint et relicta, complicabuntur libri, qui aperti fuerant, ut ultra in eis non scribantur delicta. Hinc Daniel: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt (Dan 7, 10).*

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate (Lc 21, 27). Nota ista: potestatem et maiestatem. Potestas erit quoad damnandos, maiestas quoad salvandos. De utraque dicamus.

18. --- De potestate habes concordantiam in Isaias: *Dominus, inquit, sicut fortis egredietur, sicut vir proelior*

susdtabit zelum, idest ultiones; vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar: Dissipabo et absorbebo simul. Desertos faciam montes et colles, et omne germen eorum exsiccabo (Is 42, 13-15). Tacuit Dominus, tamquam ovis ad Passionem ductus; silet modo a ilagellis; unde Iob: Virga Dei non est super eos (Cf. Iob 21, 9); patiens est, expectans ad poenitentiam; unde Ecclesiasticus: *Dissimulans peccata hominum propter poenitentiam (Sap 11, 24).* Sed in iudicio sicut parturiens loquetur, dissimulatum dolorem proferens. Tunc dissipabit congregationes divitiarum et absorbebit potentiam eorum; desertos faciet montes et colles, idest superbiam praelatorum et subditorum, et omne germen gulae et luxuriae eorum exsiccabit.

Item, de hac potestate dicit Isaias: ***Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra, interfectio magna in terra Edom. Et descendent unicornes eius et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium, quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion. Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur, et erit terra eius in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur in sempiternum, ascendetque fumus eius a generatione in generationem (Is 34, 6-10).*** In die iudicii *gladius*, idest potestas, *Domini*, ulciscens se de inimicis suis, erit *repleta sanguine et incrassata adipe*, idest puniet peccata et opulentiam carnalium; *de sanguine agnorum*, idest hypocritarum, qui, cum sint lupi, agnos se simulant; et *hircorum*, idest libidinosorum; *et medullatorum arietum*, idest pinguium abbatum et priorum, qui sunt duces gregis. *Victima enim*, idest ultio, *Domini* erit in *Bosra*, quae interpretatur munita, idest discordi et dissoluta claustralium congregatione, quae est exterius muris

munita, sed interius omni transeunti vitio exposita. Unde Isaias: *Posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus (Is 51, 23). Et interfectio magna in terra Edom*, qui interpretatur sanguineus vel terrenus, idest in clericis, qui sanguine luxurie et terra pecunie sunt coinquinati. *Et unicornes eius*, idest imperatores et reges huius mundi, *et tauri*, idest episcopi mitrati, qui habent in capite duo cornua velut tauri. Omnes isti, qui veram poenitentiam de peccatis non egerunt, *descendent cum potentibus*, idest huius saeculi principibus et potestatibus, in infernum, quae est terra morientium, quae *eorum sanguine et adipe*, idest malitia et superbia, *inebriabitur*. Cetera, quae in auctoritate sequuntur, expositione non indigent.

19. --- Item, de maiestate Domini habes concordantiam in Isaias: *Erit, inquit, tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui (Is 60,20)*. Quia oblivioni traditae sunt angustiae priores, et quia absconditae sunt ab oculis, scilicet illorum, qui in hac vita in sanctitate et iustitia eum expectabant venturum ad iudicium. De quibus dicitur inferius in introitu missae: *Etenim universi qui te expectant non confundentur (Ps 24, 3)*. Vere, vere, Domine, non confundentur, immo in sempiternum exultabunt; unde de eorum gloria et malorum poena promittis in Isaias: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis (Is 65,13-14)*.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut cum ad extremi examinis diem, reddere unicuique secundum quod gessit, cum potestate magna et maiestate venerit, non potestatem cum damnandis circa nos exercent, sed cum beatis maiestate sua nos

beatificet, qua cum ipsis comedere et bibere, laetari et exultare mereamur in regno caelorum. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in aeterna saecula. Dicat omnis beata anima: Amen. Alleluia.